

R.K.262,5

Z c  
7741

DE VITA  
ANDREAE MUSCVLI  
NOSTRATIS  
EXPOENS

---

VIRO  
PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
FRIDERICO GOTTLLOB  
A BERLEPSCH  
DYNASTAE IN HENNIGSLEBEN  
COLLATVM  
IN IPSVM SPLENDIDISSIMVM ATQVE GRAVISSIMVM  
MVNVS  
PRAESVLIS SVPREMI SENATVS  
SANCTIORIS  
SVB NOVI ANNI AVSPICIIS  
PIE GRATVLATVR  
M. IOANNES CHRISTIANVS SCHILLING  
PASTOR OPPIDI SLETAE IN HERMVNDVRIS

---

ANNA BERG AE  
EX OFFICINA GOTTLLOB AVGUSTI FRISCH



DE AVIA  
VINDRÆAE MAGSALI

AVIO

DONICO

BEDIBRICO GOTLIBO

A HERIBRICO

DINGEBRICO HINRICUS EBEN

BRABERICO HIRIBRICO

SUGIBRICO

HILDEBRICO HIRIBRICO

EVIBRICO HIRIBRICO

SCIBRICO HIRIBRICO

WIBRICO HIRIBRICO

WIBRICO HIRIBRICO

WIBRICO HIRIBRICO

WIBRICO HIRIBRICO

WIBRICO HIRIBRICO

WIBRICO HIRIBRICO

Vir Perilluſtris et Excellentissime,

Domine Gratiotifime,

**M**axime memorabilis in annalibus ecclesiasticis  
est annus, quo Tibi diuini numinis prouidentia,  
et Augustissimi Patris Patriae, FRIDERICI  
AVGVSTI, nutu, splendidissimi muneris mandati,  
Praefulis supremi Senatus sanctioris, munia subire  
contigit. Duo elapsa sunt secula, ex quo liber iste,  
Formulae Concordiae nomen habet, Dresdae IXX.  
Cal. Augusti promulgatus est, quo pax et tranquilli-  
tas ecclesiae, variis contentionibus et rixis turbata,  
certe in terris nostris fuit restituta.

Simil-



Simillima sunt tempora nostra iis, quae istam  
aetatem antecesserunt. Easdem ferme contentio-  
nes, quae maioribus nostris perniciosae fuerunt, in  
controversiam circumquaque vocari, et in vicinis  
regionibus piorum animos turbare coeperunt.

Felicem Saxoniam! cui Deus, GLOBIGIO, nunc  
*en ayios*, ad gubernacula ecclesiae sedente, Halcyonia  
dedit, et integritatem doctrinae a piis maioribus con-  
fessae, quam clementissime seruavit.

D Felicem Saxoniam! imo felicissimam! Te, Vir  
Perillustris, gubernatorem ecclesiac nobis diuinitus  
constituto. Omnes boni, quotquot Te norunt,  
laetantur, et plaudunt ecclesiae.

Cognita satis et abunde iam perspecta fuit, quae  
Tibi inest, singularis doctrina, grauitas, prudentia,  
probitas, dexteritas, solertia, fides, in arduis iisque gra-  
uis si-

uissimis, quibus praefuisti officiis, vt non solum spe-  
rare, sed et confidere possint singuli quique, quae-  
cunque prospera per summi numinis gratiam, Te mo-  
derante, ecclesiae esse euentura.

Quibus eximiis virtutibus cum coniunctam ha-  
beas mirificam comitatem et benignitatem spero, fu-  
turum esse, vt hoc qualemque documentum meae  
in Te pietatis serena fronte accipias. Viri vitam  
expositurus sum, qui auctoribus Formulae Concor-  
diae adnumeratur, cui hoc annus secularis ficer est,

Faustus felix fortunatusque sit Tibi, Vir Per-  
illustris, iste annus secularis. Seruet Te summus  
omnium rerum diribitor fartum tectumque ecclesiae  
et reipublicae per plures annos. Foecundet Te o-  
mnis generis felicitate. Quaevis mala, quibus cum  
alias mortalium vita conflittatur, auerruncet. Fe-

lici

M. Iohannes Christopherus Seelmann

lici successu omnia consilia, curas et labores for-  
tunet, omnique bonorum genere Te abundare  
clementissime iubeat.

Quod si tandem mei causa hoc loco quid ex-  
optare liceat, nihil prius, nihil antiquius futurum  
esse fateor, quam si, Perillustris Vir, gratio-  
sissimo Tuo fauore eum complecti velis, qui Deum  
ter optimum maximum pro incolumentate Tua in-  
uocare nunquam cessabit, et in id allaboratus est,  
ut fauori Tuo non indignus videatur

Vir Perillustris et Excellentissime,  
Domine Gratosissime,

Nominis Tui Perillustris et Excellentissimi

Scribebam Sletae  
ip̄s̄ Cal. Ian.  
MDCC LXXX.

cultor deuotissimus  
M. Ioannes Christianus Schilling.



... etiam subterraneos. Tunc M. ni re nomen etiam suum, sicut etiam deus, non  
sunt enim nisi rursum resurgere, rursum apud nos, rursum in nobis, sed illi, sed illam, rursum  
resurgere. Vnde ergo? Non quod natus est ex terra, sed quod ex terra  
aliquando resurgens ex mortuis resurgit, rursum in nobis, rursum in deo.

**A**ndreas Musculus noster natus est in oppido Schneeberga;  
qua parte montosus Misniae celsissimi Saxoniae Electoris  
potestati subiectae prouinciae tractus, qui Saxoniam a Bo-  
hemis diuidit, fines agri Voitlandiae pertingit, et iugum  
montium versus occasum ad declivitatem vergit. Situs loci non adeo qui-  
dem amoenus est: in summo enim fastigio montis altissima tota fere hys-  
me nive obruta, quadraginta annis ante natum nostrum conditus est; vni-  
de nomen Germanice Schneeberg ortum traxit. Oppidum hoc satis am-  
plum et splendide aedificatum olim ab vbertate argenti, quod e metallis  
montium circumiacentium effossum est, fuit celeberrimum.

Genti.

Gentilitium nomen illius fuit, Meissel, Germanico sono instrumentum excisorium, quo varii generis fabri vtuntur, significans quod tamen postea pro genio istorum temporum non satis recta interpretatione a mure deminutum conuertit in Musculus. Qua vera nominis scribendi ratione, in Meisseliorum familia nostra aetate Schneebergae adhuc florente, sollemni, usus est noster in albo inscriptorum academiae Vitembergensis nomen suum professus. (a) Deinde vero ad academiam, quae Francofurti ad Viadrum est, vocatus, iamiam mutasse nomen et in Meussel conuertisse testimonium perhibet, liber in quem nomina ciuium academicorum Francofurti relata sunt: (b) quod porro ob famam forsan Wolfgangi illius Musculi primum Augustanorum, denique Basileensium doctoris in Musculus conuertit.

Aetas eius incidit in ea tempora, in quibus sacra Christianorum a suo primaeuo statu penitus deflexa opera et ministerio Lutheri secundum normam diuinorum oraculorum a superstitione repurgata et priori suae puritati restituta sunt. Annus nativitatis non plane constat: si quidem ex iniuria temporum et propter varia incendia, quibus patria ciuitas fere penitus deleta est, liber, in quem nomina sacro baptimate initiatorum relata sunt, periit. Plerumque tamen omnium consensu decimus quartus millesimi et quingentesimi a Christo nato annus natalis eius dicitur, id quod ex monumento illius, quod ad introitum loci publici sepulchrorum in submibio Gubensi Francofurti cernitur, (c) intelligere haud difficile est.

(a) Vid. Suevus de acad. Vitemb. p. 122.

(b) Beemann notit. Uniuersit. Francofurt. p. 88.

(c) Beemann. l. c. p. 91.

Pater videtur fuisse Ioannes Meissel, (d) vir prudens et honoratus inter suos, qui tandem ex tribuno ciuium suorum in numerum senatorum ciuitatis cooptatus sit. Quamobrem hoc autem nomen Andreas noster more maiorum pro pietate in parentem filio suo natu maximo imposuit. De matre nihil prorsus memoriae proditum relictum est.

In plurimis tum Germaniae prouinciis cultiores litterae fieri, melius quam dudum pueritia insitui, et doctrina in scholis usurpari politior: quod veterum auctorum scripta et elementa imprimis Graecae linguae fere ubique addiscendum proponerentur. Inter ceteros eiusdem regionis ludus praesertim litterarius in oppido patrio celebris, pro illius aetatis captu eruditos habuit doctores; in quibus Hieronymus Wellerus (e) Fribergensem post hac ornamentum in Graeca praecipue lingua tradenda prae aliis eminuit. Perspecta igitur in puero praestantia ingenii, qua celeriter, quae tradebantur percepit, simulque fideliter meminit: omnes de indole eius optimam spem conceperunt, ut inde parentes filium in studiis piis et honestis educandi consilium inierint.

Iam decimum quartum aetatis annum excesserat (f) Andreas noster cum primaum patrem scholam intraret, et elementa litterarum nosse inciperet. Docilitas vero eius tanta fuit, quanta in nullo fere alio, animaduer-

(d) Melzer in Chron. Schneeberg. p. 425.

(e) Melzer. l. c. p. 341.

(f) Beemann. l. c. p. 88.

### III

teretur: vis ingenii et ardor discendi ingens in eo apparuit; ut non solum bene de eo sperare, sed et confidere possent doctores sui, talem futurum, qualem cognitum iudicarunt.

Mature itaque ad pleniorum ingenii cultum et quasi mercaturam doctrinae vberiorem Lipsiam (*g*) missus est: eodem ferme tempore, quo academiae Vitembergensis fama maxime inclaresceret; in eaque potissimum Martini Lutheri et Philippi Melanchthonis nomina non solum in Germania, sed et apud extereras nationes vndeque celebrarentur.

Diviserant inter se pro more istorum temporum possessiones suas, quae Misnia, Thuringia et ducatu Saxonie continebantur, Ernestus et Albertus fratres, duces Saxonicí: quorum ille maior natu septemuiralem tantum dignitatem p̄fratrem obtinuit. Schneeberga sola, patria nostri vtrique communis mansit. (*b*) Altas statim a primis initiis salutaris euangelii doctrina Schneebergae ministerio Hausmanni radices egerat: sed Georgii ducis, filii Alberti, qui infensissimo et inimicissimo in Lutherum et ab eo emendata religionem semper animo fuit, opera factum est, vt multi fuliti auctoritate Georgii tenacissimi antiquae religionis essent. In quibus Iohannes pater nostri fuisse videtur; quamobrem filius in Lipsiensem academiam, quae Georgii potestati subiecta erat, et doctrinis pontificiae, quae antiqua audiebat, religionis tenacior erat, cura patris missus est.

Litteris

(*g*) Beemann, l. c.

(*b*) Melzer, l. c. p. 228.

Litteris in hac bonarum artium mercatura, quae ad humanitatem pertinent, praecipuam operam suam nauauit, aliquod tempus ibidem confecit, et praestantiorum doctorum institutioni non sine insigni fructu usus Ambergam (*i*) primarium Palatinatus superioris oppidum se contulit; ibique et in quibusdam Franconiae adiacentis Germaniae prouinciae locis, filiis generosae prosapia et indolis instituendis operam dedit. Ad theologiae tamen studium maxime propensa fuit cupiditas illius, quod religiosae pietatis amore flagraret.

Interim status rerum in ciuitate patria penitus mutatus est. Georgius enim dux valde infensus ciuibus, quorum maxima pars nouae, eaeque puriori religioni adhaereret: totam ciuitatem Ioannis Friderici Electoris, Ernesti nepotis, potestati tradidit, (*k*) sola pecunia, quae ex metallis rediret, sibi reseruata. Cuius auctoritate anno trigesimo quarto decimi sexti post Christum natum seculi euangelii doctrina Schneebergae publice fuit introducta. (*l*) Hinc patre quoque e vita discedente ad visendam academiam Vitembergensem, quae tanta omnium commendatione celebraretur, animum admouit, exemplisque condiscipulorum allectus, et Lutheri, quem toto viata sua tempore maximopere coluit et veneratus est, audiendi et theologiae purioris ex ore eius perdiscendae cupiditate permotus, Vitembergam abiit.

(*i*) Beemann. I. c.

(*k*) Melzer. I. c. p. 234.

(*l*) Melzer. I. c. p. 297.



Annis agebatur a millesimo quingentesimo trigesimus octauus post Christum natum, cuius semestri aestuo numero ciuium academicatorum adscriptus est. (m) Maiore inde contentione animi in theologicam disciplinam incumbens, imprimis D. M. Lutheri, et Philippi Melanchthonis, restauratorum, illius theologiae purioris, huius bonarum artium et politiorum litterarum, aliorumque in omni genere doctrinae excellentium virorum, ea aetate Vitembergae versantium, doctrina usus est, et breui tempore tanta in studiis sacris incrementa fecit: ut fauorem et amorem non solum horum duuumi ororum, sed et aliorum doctorum consecutus sit.

Proinde factum est, ut et varia diligentiae, laborumque praemia reportarit. Titulo et insignibus magistri liberalium artium ornatus est. (n) Concionum sacrarum in templis habendarum potestas data, itemque facultas scholasticis docendi publice facram theologiam concessa est. Postquam quinque annos Vitembergae magna cum laude discendo docendoque consecerat, Francofurtum ad Viadrum inuenire anno illius seculi, quadragesimo secundo accessitus est. (o) Fundata confirmataque erat in eo oppido ante annos circiter triginta sex cura Ioachimi I. Marchionis Brandenburgensis, e septemuiris imperii, academia; cuius gubernatio prima Conrado Wimpinae commissa erat; quem mox sub

(m) Suevi acad. Vitemb. p. 122.

(n) Beemann. I. c.

(o) Beemann. I. c.

initium certaminum de religione acerrimum hostem Lutherū expertus est. Cum enim hic, qui theologiam publice Vitembergae doceret, quaestum illum, quo venia delictorum parata pecunia redimeretur, indulgentias vocant, notare et reprehendere inciperet, et quaedam ad disputandum proponeret: defendendum eum Wimpina suscepit, ac sese primus omnium nomine famosissimi illius Tezelii Lutherō opposuit. Sed de his negotiis non est texenda oratio.

Mortuo Ioachimo I. puriori a Luthero religioni per totum vitae spatiū aduersante, et Ioachimo II. patri succedente, mutari coepit administratio ecclesiastica in Marchia. Fauebat is euangelii doctrinae, et omni studio nitebatur in eo, ut religionis pietas et coelestis doctrinae puritas in terris potestati suae subiectis restitueretur. Quamobrem nullam curam tum non suscepit, quo academia, quae Francofurti est, auctior ornatorique fieret, et doctrina Iesu Christi et coelestis veritatis publice explicaretur et doceretur.

Iam quidem abhinc duobus annis Alexandri Alesii doctrinae fama illustris operam academie suae adiungendam curauerat; (p) qui prima fundamenta emendatae per Lutherum doctrinae in Marchia posuit; quam ob causam nomen Apostoli Francofurtensis a Friderico Myconio accepit: (q) sed suadente Agricola, Islebiō cognomine, qui ipsi a peculiaribus concionibus in sede sua Berolini erat, Musulum ad theologiae docendae munus conducendum iudicauit.

B 3

Fuit

(p) Camerar. in vita McLanchth. p. 189.

(q) Vid. Summe Venerand. Schwarz. in programm. in Festl. Reform. de Myconio Lipsiensium Apostolo p. 6.

## VIII

---

---

Fuit hic Andreae Musculo nostro auctor, (r) vt conditione, quae offerebatur, vteretur, animaduertens: hanc loci mutationem existimationem eius meliorem reddituram.

Discedens itaque in Marchiam singularem expectationem de se concitare, celeriterque Francofurti fauorem et admirationem multorum consequi, et ista academia mirabiliter tunc frequentari et celebrari.

Cognita eius probitate, doctrina, eruditione, fide, candore, animo parato ad suscipiendos ferendosque labores studio, diligentiaque maxima proponendi et explicandi veritates coelestes: praeter munus docendi theologiam in academia, ministerium praedicandi euangelii et administrandi sacramenta in aede, quae a familia Francisci nomen habet, commendatum est. Quibus cum et hoc accessisset, vt non ita multo post in ordinem doctorum moderante Theodoro Francisco (s) quodam cooptatus sit: omnibus viribus elaborauit, quibus doctrina Iesu Christi explicari constitui, illustrari, defendi, et pure sincereque retineri posset. Discedente de statione sua et Francofurto, Ludeco, qui facerdotio in primario urbis templo functus erat: Andreas noster triennio post, quam Francofurtum venerat, vnanimi vtriusque tam academicci, quam oppidani senatus consensu in locum eius suffectus, et Serenissimi Brändenburgensium Marchionis et Septemuiri iussu totius Marchiae ecclesiis gubernandis praefectus, eique primarius docendi theologiam locus mandatus est.

His

(r) Beermann. l. c.

(s) Beermann. l. c.

His splendidissimis ornatus muneribus omnem operam diligentiamque impendit, quo minus spes, quam de eo conceperant, falleretur. Nihil prius, nihil antiquius ipsi fuit, religionis sincerae et purae integritate: neque valetudinem adeo suam, neque vitam maiori curae habuit, quam publicam ecclesiae salutem.

Praecolla imprimis fuit eius opera in restituenda religionis Iesu Christi in Marchia puritate priori secundum normam scriptorum sacerdotum. Conclaves ingenti animorum commotione habuit. Profectus per totam regionem visitandis ecclesiis multum studii et laboris impendit, et ubique initia coelestis veritatis dicendo ad populum fecit. Miranda imprimis et laudanda in eo prudentia est, qua in ferendis incommodis, quibus tam arduum et graue negotium premeretur, usus est. Licet enim essent praecipue inter proceres pontificiis dogmatibus tenacius adhaerentes; quibus totum illud negotium displiceret, et mutatio tam subita grauis et molesta esset, et varia impedimenta, quibuscumque possent, obiicerent, vehementerque contradicerent: tamen cum tanta laude, tamque felici successu functus est Apostolatu suo, docendo, emendando, hortando, confutando, ut dignum profecto sit insigne illud beneficium diuinum opera huius viri praestitum, quod sancta memoria apud posteros reolatur.

Constituta sic re ecclesiastica in Marchia graues turbae exortae sunt in ecclesia: quae insigni documento esse possunt, quam constanter Musculus in pia confessione veritatis coelestis perseuerauerit.

Con-



Confecto bello in Misnia et capto Ioanne Friderico, Electore Saxoniae, Carolus V. Imperator omnibus viribus nitebatur: quo liber ille, quem Augustae Vindelicorum paucorum quorundam clandestina opera congeri iusserrat, in quorum numero post Iulium Pflugum, et Michaelem Sidonium, Agricola Islebius fuit, reciperetur; in quo praecipiebatur, quid interim dum synodus cogeretur, fieri seruarique oporteret ab iis, qui in ecclesiae doctrina et ritibus visitatis aliquid innouassent. Vnde liber iste nomen Interim accepit. Iussa istius de recipiendo illo libro sine contradictione precibus et excusatione, et praecepta in eis exequendo, ad omnes ordines delata sunt. Quae mandata cum a principe suo Electore, quem maxime semper veneratus est, ad nostrum deferrentur; quibus Agricola admonitiones suas adjunxerat: non solum ea, quae veritati contraria in eo deprehenderet, non recepit; sed et confutando et oppugnando fortiter reslitit, neque minis, neque periculis ullis a veritate professa deterrei potuit: (*t*) Deo magis quam hominibus parendum censuit. Quo facto, plures, qui titubarent illius auctoritate moti et exemplo confirmati resistere iam atque repugnare auli sunt.

In controversiis, quae post obitum Lutheri ex hac vita in ecclesia mortae sunt, strenuum vindicem et assertorem veritatis et genuinum Lutheri discipulum se praebuit.

Francisci Stancari errori de persona Iesu Christi, qui relicta fiatione sua in Borussia Francofurtum venerat, fortiter tam disputando quam scribendo

(*t*) Beermann. I. c.

fese opposuit et veram doctrinam de Iesu Christo, filio Dei, explicauit et vindicauit.

Eadem tempestate de laudabilium piarumque actionum, bonorum operum nomen habent, necessitate disputationes Francofurtanam academiam invadere et inter doctissimum Abdiam Praetorium et Musculum nostrum agitari cooperunt. Licit autem veritas a parte Musculi (u) flaret; tamen non negandum in iis aliquid humani passum esse, et vehementioribus, quae in eo erant animi commotionibus nimium indulsisse. Quae dissidia maximo damno academie Francofurtanae fuere, et non prius sedatae, quam Abdias Praetorius Francofurto relicta Vitembergam se contulisset.

In controuersia de sacra coena, veritatem euangelii, ipsum corpus et sanguinem Iesu Christi fumentibus adesse et sumi vescendo et bibendo non modo cogitatione et fide, sed ut Theologi loquuntur, vere et substancialiter, non tantum rite explicauit, sed et vindicauit, confutando eos, qui a genuino sacrorum oraculorum, piarum confessionum et librorum Lutheri sensu recederent. (x)

Haec negotia exceperunt alia, quibus exercitus et defatigatus noster fuit. Cum enim res in ecclesia eo rediissent, ut contentiones in dies creaserent,

(u) Musculus de libertate bonorum operum,

(x) In tractatu de praesentia corporis et sanguinis I. C. in sacra coena, Francof.

1575. edito.

C

scerent, et augerentur, quae pacem et tranquillitatem ecclesiarum turbarent; Serenissimus Saxoniae Elector, Augustus, re communicata cum Ioanne Georgio, Marchione et Septemuiro Brandenburgensium, qui patri in imperio succeſſerat, pio consilio et studio laudabili perfecit, vt anno septuagesimo septimo iſlius ſeculi Torgauiae in Misnia, ſex praecipuorum doctorum ecclieſiarum, quae Auguſtanae confeſſioni addictae eſſent, conuenirent et de capitibus in controuersiam vocatis cognoscerent. In quorum numero Andreas Musculus (*y*) fuit, quem cum Christophoro Cornero, qui Francofurti publici doctoris theologie munere fungebatur Torgauiam peti iuſſerat celſiſſimus Marchio Elector.

In illo congressu de capitibus praecipuis controuersis doctrinae traclatum eſt, de quibus post diligentissimam conſiderationem compositum eſt scriptum, comprehendens aliquot capitibus expositam et explicatam doctrinam quaeftionum in controuersiam vocatarum. Collectis poſtea iudicis theologorum variarum prouinciarum et primariarum vrbium Germaniae, qui buſcum communicatum erat, denuo Bergam prope Magdeburgum ſequenti anno accertiſſi ſunt hi ſex theologi, recitatus, approbatus et tandem titulo Formulae Concordiae diuulgatus eſt liber.

Scio fuſſe quosdam, qui ſuſpicati ſint, de ſententia Andreæ Musculi rem administratam non eſſe, et affirmare non erubuerint, inuitum nomen ſubſcripſiſſe et poſtero tempore ſinistro de hoc libro iudicaffe. (*z*) Sed

fallunt

(*y*) Rehtmeyer in Hist. Eccleſ. Brunſwic. P. III. p. 392.

(*z*) Vid. Rehtmeyer l. c. in ſupplement. ad Part. III. p. 176.

fallunt et falluntur cum Godofredo illo Arnoldo, qui sibi aut aliis de tanto viro id persuadere conantur.

Nullo enim certi et firmi testimonii nituntur fundamento, quo veritatem eiusmodi assertionis demonstrare possint. Tot contra actiones et consilia, quibus adhibitus fuit noster istius libri stabiliendi causa: Tot itinera, quae confecit, tot colloquia, quibus vtriusque tam Saxoniae, quam Brandenburgiae Electoris iussu, cum Martino potissimum Chemnicio, cuius opera et manu liber exaratus creditur, hanc ob causam interfuit, ut alienati a formula ista concordiae, vt audit, animi <sup>et</sup> consensum perducerentur, refragantur toti isti commento.

Exantlatae ab eodem sunt plures aliae difficultates et molestiae gubernationis ecclesiarum, dirimendarum controvrsiarum, profectionum, deliberationum, aliarumque actionum, quibus consulteretur et puritati doctrinae et tranquillitati ecclesiae, ut saepe mirati sint, vires non defecisse, qui hominis male adfectam valetudinem perspectam haberent. At animus eius curis laboribusque minime fractus est.

Multa peaterea opera scribendo edidit, quae veritatem amantibus praeclara et vtilia visa sunt: quorum alia veritati doctrinae coelestis explicandae confirmanda et vindicanda, alia erroneis opinionibus veritati contrariis confutandis, alia denique corruptelis in moribus et vitiis sui temporis frenum iniiciendis et morum honestati conseruandae inferuunt.

## XIII

Dici non potest, quantum opera diligentiaque vnius huius viri effectum fuerit. Ita enim erat animatus, ut neque itinera, neque laborem ullum aut periculum vitandum fugiendumue censeret, tummodo opera studiique aliquid nauaretur rei ecclesiasticae constituendae, confirmandae, stabilizandae. Quam docendo proposuit fidem, eam quoque disputando defendit, et contradicentes redarguere nisus est.

Itaque apud Marchiones et Septemviro Brandenburgenses, Ioachimum II. et Ioannem Georgium in singulari fuit pretio, et existimatione. Eius auctoritate et nutu omnia gesta sunt in constituta re ecclesiastica. Consilio opeque eius usque fuit in rebus grauibus ad ecclesiam eiusque salutem spectantibus. In dubitationibus saepe confirmauit vacillantes eorum animos: In anxietate versantibus consolationi fuit. Clementissime hanc ob causam eum complexum, et dignitate et opibus auxerunt.

Qui singularis fauor praeferim' Francofurtanae academiae utilis fuit, cui augendae et ornandae omnem operam studiumque suum impedit. Tantum auctoritate potuit, valuitque eloquentia apud Ioannem Georgium Electorem, ut academiae de augendis redditibus, quibus doctores largius alienentur, et pauperibus scholasticis alendis vietu prospectum sit. (a)

Cum ipse nullis cogitationibus et curis vacaret, nisi salutaribus ecclesiae et reipublicae, factum est, ut augendae rei familiaris nulla opera ab

(a) Beermann. l. c.

ipso daretar. Potuisset omnino, si paullulum attentionis voluisset adhibere, suis locupletiorem hereditatem relinquere.

Tres duxit vxores, de quibus nihil memoriae proditum relictum est. Filios reliquit superstites duos, filiam, quantum nos comperimus, unam tantum, quam Andraeac Praetorio nuptum dedit.

Multis aduersis et malis familiaribus vexatus est; quarum calamitatum domesticarum patientissimus fuit. Mortem duarum vxorum et multorum liberorum peste extictorum moderate tulit, sine Dei voluntate nihil calamitatum accidere posse affirmans. (b) Graibus morbis saepe diuque afflatus est, et calculorum a filicidio vesicae acerrimos sensit dolores. Grauissimum vulnus animo Musculi inflxit acerbissimus casus filii natu maioris Ioannis, in suburbio Lebusiano Francofurti sacerdotio fungentis. Is immo-  
dico potu deditus, in administranda sacra coena multa leuiter traclauit, ideoque indignationem Ioachimi Electoris expertus, suffragiis sacerdotum plurium, quos conuocauerat, de loco suo deiectus et poena exilii multatus est. (c)

Fractus tandem ingentibus laboribus, et curis perpetuis usque grauissi-  
mis tam publicis quam domesticis, quibus distracta omnis eius vita fuit,  
obiit mortem placide et in summa eius, quem semper coluerat, filii Dei

C 3

noſtri

(b) Beemann. I, c.

(c) It. I, c.

## XVI

nostri Iesu Christi veneratione, et spe vitae aeternae anno post millesimum quingentesimum a Christo nato octuagesimo primo.

Fuit omnino egregius vir et multis magnis verisque virtutibus ornatus, qui priuori religioni restituendae fundandae, tuendaeque, fortunas salutem vitamquae suam impendit. Pietate excellenti, eruditione solida, iudicii dexteritate, animi candore, zelo ardenti, auctoritate et grauitate singulari praeditus fuit. Ingenii vis in eo conspiciebatur maxima. Memoria autem ea erat, quae mira felicitate comprehenderet et summa fide retineret quiduis, et non solum vernacula, sed et latina lingua sineulla præparatione etiam in magnis congressibus verba faceret. Itaque disputando in responsonibus ad obiecta plurimum valebat.

Ecclesiae rebus ex animo adsciebatur. In negotiis gerendis et fides et grauitas spectata est, quibus eximiam auctoritatem consequebatur, et dignitate excellebat. Nihil subdolum simulatum, fallax, contraque sincera et aperta omnia. Quae statuebat et sciebat esse vera nullius hominis respectu aut gratia neque spe emolumenti, aut ambitione amplectebatur et defendebat, acquiescens in recta bonaque conscientia. Sed animus eius natura feruentior, vehementioribus commotionibus grauiter commouebatur erga eos potissimum, quos a vero rectoque tramite salutaris coelestisque doctrinae aberrare videret. Concedatur autem errasse eum, quod in controuer-  
siis cum Stancaro et Praetorio contigit; Fuit enim certe homo: Hominem autem natum labi atque peccare naturae ipsius necessitate contineri demon-

stratur.




stratur. In ferendis contra priuatis et domesticis iniuriis erat patientissimus. Ad gratificandum vnicuique semper paratus, et commodis aliorum seruendi promissimus: Munificus et liberalis erga multos. De pluribus bene mereri praeclarum duxit. Itaque ingens desiderium post se reliquit. Spectatissima cum fide et assiduitate mirabili officio suo annis circiter quadraginta functus est, et praefuit studiose ac sollicite nequaquam fugiens laborum; dignus omnino fuit, quod vita eius, quae ab iis, nescio quo omni-  
ne, qui de vitis illustrium theologorum seculi sui exposuerunt, neglecta est, hoc seculari Formulae Concordiae anno pia memoria recolatur, et beneficia, quae Deus, ecclesiae euangelicae, praecipue autem Marchicæ, ministerio istius viri praesedit, gratissima mente venerentur.



Zc 7741 OK x 3095450

IV



R.K.262,5

Z  
7741

DE VITA  
ANDREAE MUSCVLI  
NOSTRATIS  
EXPOENS

VIRO  
PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
FRIDERICO GOTTLLOB  
A BERLEPSCH  
DYNASTAE IN HENNIGSLEBEN  
COLLATVM  
IN IPSVM SPLENDIDISSIMVM ATQVE GRAVISSIMVM  
MVNVS  
PRAESVLIS SVPREMI SENATVS  
SANCTIORIS  
SVB NOVI ANNI AVSPICIIS  
PIE GRATVLATVR  
M. IOANNES CHRISTIANVS SCHILLING  
PASTOR OPPIDI SLETAE IN HERMVNDVRIS

ANNABERGAE  
EX OFFICINA GOTTLLOB AVGUSTI FRISI

